

R. P. FRANCISCI

SUAREZ

E SOCIETATE JESU

OPERA OMNIA

EDITIO NOVA, A CAROLO BERTON,

CATHEDRALIS ECCLESIAE AMBIANENSIS VICARIO,

INNUMERIS VETERUM EDITIONUM MENDIS EXPURGATA, ADNOTATIONIBUSQUE IN ULTIMUM
TOMUM RELEGATIS ILLUSTRATA,

REVERENDISSIMO ILL. DOMINO SERGENT, EPISCOPO CORISOPITENSI, DICATA.

TOMUS VIGESIMUS QUINTUS



PARISIIS

APUD LUDOVICUM VIVÈS, BIBLIOPOLAM EDITOREM,

VIA VULGO DICTA DELAMBRE, 13.

MDCCCLXVII.



BIBLIOTHECA MUSEI HISTORICO-NATURALIS
53488

COULOMMERS. — TYP. ALBERT PONSOT ET F. BRODARD.

RATIO ET DISCURSUS TOTIUS OPERIS.

AD LECTOREM.

Quemadmodum fieri nequit ut quis Theologus perfectus evadat, nisi firma prius metaphysicæ jecerit fundamenta, ita intellexi semper, operæ pretium fuisse ut, antequam Theologica scriberem Commentaria (quæ partim jam in lucem prodire, partim collaboro, ut quam primum, Deo favente, compleantur), opus hoc, quod nunc, Christiane lector, tibi offero, diligenter elaboratum præmitterem. Verum, justas ob causas, lucubrationes in tertiam D. Thom. partem differre non potui, easque primum omnium prælo mandare oportuit. In dies tamen luce clarius intuebar, quam illa divina ac supernaturalis Theologia hanc humanam et naturalem desideraret ac requireret, adeo ut non dubitaverim illud inchoatum opus paulisper intermittere, quo huic doctrinæ metaphysicæ suum quasi locum ac sedem darem, vel potius restituerem. Et quamvis in eo opere elaborando diutius immoratus fuerim quam initio putaveram, et quam multorum expostulatio, qui commentaria illa in tertiam partem, vel (si sperari potest) in universam D. Thom. Summam, perfecta desiderant, tamen suscepti laboris nunquam me pœnitere potuit, confidoque lectorem sententiam meam, vel ipso adductum experimento, comprobaturum.

Ita vero in hoc opere philosophum ago, ut semper tamen præ oculis habeam nostram philosophiam debere christianam esse, ac divinæ Theologiæ ministram. Quem mihi scopum præfixi, non solum in quæstionibus pertractandis, sed multo magis in sententiis, seu opinionibus seligendis, in eas propendens, quæ pietati ac doctrinæ revelatæ subservire magis viderentur. Eamque ob causam, philosophico cursu nunquam intermisso, ad quædam Theologica diverto, non tam ut illis examinandis aut accurate explicandis immorer (quod esset abs re de qua nunc ago), quam ut veluti digito indicem lectori, quam ratione principia metaphysicæ sint ad Theologicas veritates confirmandas referenda et accommodanda. Fateor me in divinis perfectionibus, quæ attributa vocant, contemplandis, immoratum fuisse diutius quam alicui fortasse præsens institutum exigere videretur; at compulit me rerum imprimis dignitas et altitudo, deinde quod mihi nunquam visus sum luminis naturalis, atque adeo nec metaphysicæ, limites transilire.

Et quoniam judicavi semper, magnam ad res intelligendas ac penetrandas, in eis convenienti methodo inquirendis et judicandis, vim positam esse, quam observare vix aut ne vix quidem possem, si, expositorum more, quæstiones omnes, prout obiter et veluti casu circa textum Philosophi occurrunt, pertractarem, idcirco expeditius et utilius fore censui, servato doctrinæ ordine, ea omnia inquirere, et ante oculos lectoris proponere, quæ de toto hujus sapientiæ objecto investigari et desiderari poterant. Illud vero objectum quodnam sit, explanat prima hujus operis disputatio, simulque in ea præfamur dignitatem, utilitatem, et cætera quæ in præfationibus scriptores præmittere consueverunt. Deinde in priori tomo ejusdem objecti amplissima et universalissima ratio, qua, videlicet, appellatur ens,



FONDO BIBLIOTECA PUBLICA
DEL ESTADO DE NUEVO LEON

ejusque proprietates et causæ diligenter expenduntur. Et in hac causarum contemplatione, latius quam fieri solet immoratus sum, quod et perdifficilem illam, et ad omnem philosophiam et Theologiam utilissimam esse existimaverim. In tomo autem altero inferiores ejusdem objecti rationes prosecuti sumus, initio sumpto ab illa entis divisione in creatum et creatorem, utpote quæ prior est, et entis quidditati vicinior, et ad hujus doctrinæ decursum aptior; qui subinde procedit per contentas sub his partitiones, ad usque genera omnia, et gradus entis, qui intra hujus scientiæ terminos seu limites continentur.

Quia tamen erunt permulti, qui doctrinam hanc universam Aristotelis libris applicatam habere cupient, tum ut melius percipiant quibus tanti philosophi principiis nitatur, tum ut ejus usus ad ipsum Aristotelem intelligendum facilius sit ac utilior, hac etiam in re lectori inservire studui, indice a nobis elaborato, quo, si attente legatur, facillime (ni fallor) poterunt omnia, quæ Aristoteles in libris Metaphysicæ pertractavit, et comprehendere, et memoria retineri; rursusque præ manibus haberi quæstiones omnes quæ inter illos libros exponendos excitari solent.

Demum benignum lectorem admonendum duximus, unum quidem opus hoc esse, nec ejus disputationes fuisse ab uno volumine sejungendas, nisi aliqua nos ratio coegisset. Nam imprimis ne mole sua nonnihil afferret molestiæ, in duo volumina illud divisimus; deinde vero, ut, quoad fieri posset, nostrorum laborum studiosis debitum officium præstaremus, hoc prius emisimus statim ac e prælo prodiit; quamvis aliud eo jam processerit, ut existimem, non prius hanc partem perlectam fore, quam illa fuerit in lucem edita. Utinam utraque, et cætera, quæ molimur, in magnam Dei Optimi Maximi gloriam, et Ecclesiæ Catholicæ utilitatem cedant. Vale.

RATIO INDICUM HUIUS OPERIS.

Quinque indices huic operi adjuncti sunt, benevole lector, de quibus paucis es monendus.

Primus est ¹ qui, initio statim operis positus, disputationes et sectiones, quæ in hoc opere continentur, exhibet.

Secundus est, in quo ordo et ratio librorum ac capitum Metaphysicæ Aristotelis aperitur, omniumque brevis summa proponitur, et quæstiones omnes, quæ in eis moveri solent aut possunt, designantur, cum locis in quibus in hoc opere disseruntur, et si quæ ad textus Aristotelici intelligentiam pertinentia in ipso opere ommissa sunt, in hoc indice pro cuiusque rei difficultate breviter expediuntur. Atque hic index initio statim ante ipsas disputationes ponendus est; ita tamen excusus est, ut pro arbitrio tuo possis eum reliquis in fine operis adjungere.

Tertius, rerum et verborum quæ in utroque tomo hujus operis metaphysici continentur.

Quartus est philosophicus continens quæstiones metaphysicas juxta ordinem eorum, quæ in philosophiæ curriculo disputari solent.

Quintus comprehendit quæstiones theologicas, quæ in utroque tomo hujus operis continentur, juxta ordinem eorum quæ a Theologis disputari solent ad Summam Theologicam D. Thomæ.

¹ Illum indicem in hac nostra editione secundo loco posuimus, quippe quem in veterioribus editionibus index Aristotelis denominet sequentem